

PROLOGUS.

Mauritio pœnitenti, remissâlicèt culpâ, graves,
tamen à Divina Nemesi statuuntur pœnæ.

Nemesius, Mauritii Custos Genius, Duo Pupilli, Chorus umbrarum.

Chor. Umbr. Vindica, vindica,
Dei justitia!

Occisum militem,
Profusum sanguinem,
Avarâ, sordidâ,
Crudeli, barbarâ

Cæsaris dexterâ.

Vindica, vindica.

Nem. Quis, quis me suscitat in furore meo?
Quis vindictam poscit de reo?

Chorus. Clamat ad te sanguis miserè peremptorum,
Pupilli. umbr. Clament viduarum lachrymæ, & pupillorum.

Aria.

Pupilli duo. Jacent Patres, jacent Fratres,
Luctu squalent orbæ Matres,
Fame jacent parvuli.
Dira cædes miserorum,
Et egestas pupillorum
Scelus est Mauritii.

Chorus repetit. Vindica, vindica
Dei justitia.

Nem. Vindicabit, vindicabit,
Pœnas Mauritius dabit.

Jam ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.
Deut. 32.

Cust. Gen. Misericordia! Misericordia!
Hanc apud ipsam Justitiam pro Mauritio,
Curæ mœæ credito,
Imploro,
Supplex oro.

I.

Aria.

2.

Quamvis culpæ gravis reus
 Cliens meus,
Poenas graves, ut fatetur,
 Promeretur;
 Tamen verè pœnitens,
 Et contrita dolet mens.

Facti pudet, inceret, odit,
 Et se prodit,
 Quæ est intus, vis doloris:
 amaroris

* Nem. O potentem contriti cordis dolorem!
 Quàm citò exarmat justitiae rigorem!
 Una clientis tui lacryma
 Jam parata delet inferni incendia.

Aria.

Surge. Pro tuo cliente quid paves?
 Nescis? quàm cordi divino sint suaves,
 Verè quás pœnitens lacrymas dat;
 Cordis contriti sincero dolore
 Dignum se denuo facit amore,
 Atque pro reo clementia stat.
 Ipsus tam pias lacrymas delibo;
 His placatus, Mauritii nomen libro vitæ inscribo.
 Tolle,
 Lege.

Cust. Gen. legit. *Mauritius, Constantina, Theodosius, Tiberius, Petrus, Paulus, Justinus, Theodora, Placidia, Paulina.*

Ergo uterque parens cum omni numero liberorum
 Inscriptus est albo Electorum?

O sortem beatam!

O pœnitentiam optatam!

Sed cur hæc nomina scripta sunt sanguine?

Nem. Quia Mauritanio sanguine satisfaciendum est justitia.

Cust. Ang. Ergo nondum justitia est placata?


Nondum remissa Mauritii peccata?

Nem. Culpam deleverunt lacrymæ,

Pœna tamen adhuc debetur justitia,

Vel in hoc seculo,

Vel in orbe altero.



I. Aria.

I.

Per mēmet hoc juro,
 Qui æquum projuro,
 Stat fixum & ratum.
 Peccatum patratum
 Vel hic est luendum,
 Vel ibi ardendum,

Dum satīs divinæ justitiæ fit:

Cust. Ang. Dura electio!

Jam tamen facta à Mauricio.

I.

Hic ure, hic seca,
 Hic perde, hic neca:
 Hic poena brevior,
 Aut certè mitior;
 Orbe in altero
 Parce Mauricio.

Aria.

2.

Hic vides catenas,
 Et asperas poenas,
 Hic Martem feroem,
 Hic mortem atrocem,
 Hic focum flagrantem,
 Et ignem purgantem.

Electio penes Mauritium sit.

Aria.

2.

Vitam & sanguinem
 Natos, & conjugem
 Si placet, exige
 Hic hic in tempore:
 Orbe in altero
 Parce Mauricio.

CHORUS I.

Sedecias, Rex Solymæ cum filiis captus sistitur
 Nabuchodonosori.

Nabuzardan, Nabuchodonosor, Tebarzanes, Sedecias, Ariel fil. Abdias fil.
Chorus Chaldaeorum.

Nabuzard. Jo Vive, Rex potentissime,
 Urbs capta, expugnata est Solyma.
 Vos Regi Victor triumphum canite,
 applaudite.

Chor. Chald. Vive, regna, impera,
 Tua est, Rex, Solyma,
 Te honoret,
 Te adoret
 Gens Judææ subdita.

Nabuehodon. Mea est Solyma,
 Sed vestra, duces, & milites, capta est gloria.
 Laudo vestra in me merita,
 Quibus sua quoque respondebunt præmia.

I.

Per Martis furorem,
Et hostis cruorem,
Per clades & minas,
Per regum ruinas,
Per casorum funera,
Captae Urbis rudera
Solymæ ad regium,
Jam ascendam solium,

Nabuchodonosor Rex.

Sed ubi Sedecias impius? An impunè evasit profugus?

Nabuzard. Confide Réx augustissime,

Fugientem Victor miles persequitur strenuè,

*Eten! fallor, an tubæ clangor prævius

Jam captum indicat nuntius?

Tebarzanes. Jó! jo! Rex invictissime!

Captus est cum filiis Rex Solymæ.

Nabuchod. Bene est: adducite.

Tebarzanes. Ingreditur: aspice.

Nabuchod. Téne habeo rebellis, perfide?

Disce tandem adorare Regem Solymæ,

Flexo poplite, pronóque vertice.

Reluctarisi? -- cogite.

I.

Sed. Heu sortem asperam,

Iniquam, perfidam!

Quousque præcipitas me?

Impune jam hostem bacchâri,

Et regnum everti, vastari

Heu videam?

Manus hasce regias,

Sceptro antè fulgidas,

Nunc ferro onerari,

His vinculis gravari

Aspiciam?

Heu miserum, perditum me!

Nab. Quid obgannis Refractarie?

Tota tua cum progenie.

Aria.

2.

Tu me dominântem
Orbi imperantem,
Regem Babyloniae,
Et nunc tuum Solymæ,
Honorare,
Adorare
Disce rebellium fæx.

Aria.

2.

Jam ipse extero

Rex ego Domino

Genu curvem famulum?

Servus sim, mancipium?

Vah probrum immane!

Quid petis à me?

Quo fastus & furor abripiunt te?

Arial. Ah regum optime,

Abdias. Ah parce miseric

Cum Patre filiis.

Pœnas graviores senties Hodie

1. Aria.

I.

Aria Duetto.

2

- | | | | |
|--------------|---------------------------------|--------------|---------------------|
| <i>Ar.</i> | Per tenerum Patris amorem, | <i>Abd.</i> | Per stemma regium, |
| <i>Abd.</i> | Innocuae mentis candorem. | | Judææ inclytum |
| <i>Ar.</i> | Per, si quid possunt, profluas, | <i>Ar.</i> | Obtestamur, |
| | Ex oculis has lacrymas | <i>Abd.</i> | Deprecamur. |
| <i>Abd.</i> | Te rogamus | <i>Ar.</i> | Vinculis nos exime, |
| <i>Ar.</i> | Obsecramus, | <i>Abd.</i> | Regno nos restitue |
| <i>Abd.</i> | Locum da clementiæ, | <i>Ambo.</i> | Ah annue, |
| <i>Ambo.</i> | Rex optime. | | |

Nab. Cessate viperarum genimina,
Non me incantabunt vestra sibila.
I miles, Patrem cum sobole
A conspectu hinc proripe,
Et tetro conclude carcere.

Sedec. Regem Solymæ includas carcere?

Nab. I, jussa exequere.

Sed. Non Rex, sed barbare.

Ar. & Abd. Ariose. Ah parce Rex mitissime,
Da locum veniae.

Nab. **Absistite,**

Recedite.

**Nos interim, duces & principes, deliberamus,
Quas poenas, quod mortis genus rebellibus decernamus.**

CHORUS II.

Rex Sedeciosà Rege Nabúchodonosore cum filiis
plectitur.

PERSONÆ PRIORES.

Nabuchod. Eja igitur captos adducite,
Et coram hic perdueilles sistite.

Nabuzard. En, ut jubes, Rex augustissime.

Nabuchod. Adesto perfide

Cum tua sobole,

Et percipe,

Quid de vobis statuam,

Sedec. Quam feram sententiam.
Eheu! à Rege extero, crudeli barbaro,
Judicari, condemnari nos audiam?

Abd. & Ar. Clementiam, ab clementiam. X 3

1. Aria.

Nabuchod. Juro
 Per Deos superos:
 Juro
 Per omnes inferos:
 Per Chaldæorum Numina,
 Per atra stygis flumina,
 Stat gentem perfidam.
 Foetentem, folidam,
 Perdere, exscindere
 Funditus.
 Stat Nomen Israëlis
 Perjuri, & rebellis
 Abolere
 Et delere
 Penitus.

2. Aria.

Stat Regem Hebræum,
 Vecordem Judæum,
 Cum probrofa sobole
 Stirpem cum propagine
 Evertere
 Evellere
 Radicitus.

Sedcc. Superi! cum Patre pereat tota stirps regia?
Nabuchod. Pereat, occidat perfida.

Abd. & Ar. Ah Regum maxime,
 Da locum veniæ,
 Ah parce miseris,
 Afflictis, perditis.

Nabuchod. Actum est, ratum est.

Abd. Ah saltēm succedaneam
 me accipe pro parente victimām.

Ar. Imò me, me macta immola,
 Pro patre, pro fratre ego sim hortia.

1. Duetto.

I.

Duetto.

2.

Abd. Quid frater tibi arrogas?

Quam petis gratiam?

Ar. Quod jus tu tibi vendicas?

Cur me non præferam?

Abd. Te ego annis præeo,

Ar. Sed te amore supero.

Abd. Me Rex, cape, perime,

Ar. Me me rape, opprime.

Abd. Hoc pectus ense scrutare,

Ar. Ah meum, precor, rimare.

Abd. En caput tibi porrigo,

Ar. En meum hoc devovo.

Abd. Abscinde,

Ar. Præscinde.

Nabuch. Sit ergo, vestris annuam precibus,

Superstes vivat parens diutiùs.

Tu verò Ariel, amore qui superas,

Palmam ut referas,

Primus cervicem ferro subjice,

I lictor, abripe.

Sedec. Me, me feri barbare,

Crudelis, impie.

Ar. Vive Pater, Vale frater.

Abd. Eheu! Cur mihi non licet primo, pro Patre occumbere?

Ergo liceat saltèm interim, extreñum vale parenti dicere.

I.

Aria.

2.

Vale pater, ultima

Da, ut figam oscula,

-Heu! quid manus retrahis?

Proles sum, quid refugis?

Da dextram dextræ jungere,

Ah Pater amantissime.

Sic vive, vale genitor

Sic latus pro te morior.

Nabuch. Ergo morere,

Et fratrem moriendo sequere,

Tu lictor reseca mortuorum capita.

Túque frater optime,

Dum ad mortem sequor te,

Fratrem frater suscipe,

Ad amplexus voca me

Eiusdem patris filium

Pro patre tecum mortuum.

Jam vale vive genitor,

Cum fratre ego morior.

Sedec.

Sedec. Quid porro cessas cruentę, barbare,
Parentem natis jungere?

Nabuch. Imò vive vitam longiorem, sed ipsa morte accerbiorem:
Mors brevis, pro te est pæna nimium levis.

Sedec. *Eheu! quid video! refugit animus: horreo.

Nabuch. Aspice, & considera, ut tuam perfidiam tibi exprobrent:
Muta hæc Natorum capita.

Sedec. O innocentes victimæ! ignoscite.

Meo, meo, quidquid erat, luendum fuit sanguine.

Ah finite, in emortua amoris osculum vobis ut figam facie.

Heu me! non possum, non possum. Ah ignoscite.

Ah triste spectaculum remove, quid ultra Lanienam hanc

Me cogis aspicere?

O amor! O dolor!

Nabuch. Quid ergo moror?

Ultrà ne aspicias,

Age lictor, Sedeciæ oculos volo, ut eruas,

Sedec. Fode, feca, erue, id erit locò gratiæ

Si sanguinem cum sanguine

Natorum licet fundere.

I.

Dum jacet proles gemina,

Jam currite sanguinea

O flumina!

Amoris nostri consicias

Cruentas date Lachrymas

O lumina.

Nabuchod. Rebellem, perfidum, scelestum,

Impium, è conspectu jam abripite,

Babylonem captivum ducite.

Sedec. Abstrahe DEO rebellem, perfidum,

Factum populo austorem scelerum.

Nabuchod. Vos Regi vestro jam applaudite,

Pæana canite,

Chor. Extincta est stirps Regia

Judæa gens est subdita,

Rex vive Babylonie,

Et cape sceptrum Solymæ.

Aria.

2.

Quin ità perpetrata

Deflenda sunt peccata:

Agnosco Deum Vindicem,

Et Regum quoque judicem:

Heu pænas sentio!

Heu culpam doleo!

Univ. BIBL.
München